

RECTOR
ACADEMIÆ
LIPSIENSIS

ad

Amplissimum funus Professorium

DN. POLYCARPI

WIRTHII, magni nominis JCTL

Cives Academicos

invitat,

en/

bt/

n/





Unus indicimus, Cives Academici, nobis im-
provisum, Academia luctuosum, & bonis
pluribus acerbum. Ecquis enim hujus urbis
vel obscurissimus angulus est, quem nō com-
pleverit fama de insperato prorsus obitu &
abitu ex hac vita Viri, dum inter vivos agebat, perquam
Reverendi, Amplissimi, Consultissimi & Excellentissimi
Domini POLYCARPI VVIRTHII, fcti famigeratissi-
mi, Professoris publici celeberrimi, Curiae Provincialis, ju-
dicii Electoralis in inferiore Lusatia, & Juridica Facul-
tatis Assessoris, Canonici Numburgensis, & Collegii Princi-
pum minoris Collegiati, Viri magni. & de Collegiis omni-
bus praeclarè meriti, jam demum post fata desideratissimi.
Nudius sextus suo cum Collegis reliquis functum officio
post quintam vespertinam domum suam hunc repetere,
vidimus, sed (ebeu!) post unius horulae intervallum ipsa
vitâ defunctum, tristis nobis affertur nuncius. Quem
casus tam subitaneus non percellat? quem non fibris inti-
mus permoveat? Quem non de rerum terrenarum abji-
ciendo desiderio, & altiùs elevandis pennis Spiritualibus
πρός τὸ ἀνώτερον φρονεῖν commonefaciat? Luctuosum utiq; fu-
nus Academiae indicimus, si jaeturam, quam fecit cum
tanto Viro, lumine certè ac ornamento suo pulcherrimo,
vel apud exteros nominatissimo, ad judicii satioris obrus-
sam

Sam examinamus. Fœnerarunt huic Academia totiq̃ Ger-
mania lucem cara VVIRTHIORUM nomina per sesqui-
seculum & amplius, PETRUS VVIRTHIUS, SS. Th. D.
circa seculi superioris initium hujus Academia magna
cum laude Rector, Canonicus VVratislaviensis, Romæ tan-
dem, cum Episcopatus VVratislaviensis confirmationem
à Clemente Vll. Pontifice peteret, Anno 1525. fatis con-
cessit ibidem sepultus, MICHAEL VVIRTH, JCTUS,
Fac. Juridicæ in hac Academia Ordinarius & Antecessor
decanatissimus & GEORGII VVIRTHIUS, Medici-
næ Doctor haut vulgaris (ex singulis enim Facultatibus
unum duntaxat adduxisse sufficiat) CAROLI V. Roma-
norum Imperatoris invictissimi & PHILIPPI II. Hispa-
niarum Regis potentissimi Archiater felicissimus hic Lip-
siae nonagenarius cum agnato MICHAELE intra spa-
cium unius propemodum anni, atate, honoribus & divi-
tiis uterq̃ saturrimus, extinctus. Addere possumus dictis
familia decoribus Beatissimi nostri Parentem τὸν ἐν ἀγίοις,
Virum itidem perquam Reverendum, Amplissimum &
Consultissimum Dn. MICHAELEM VVIRTHIUM
Juniorem, Phil. & Juris utriusq̃ Doctorem celeberrimum
Professorem publicum, Curiae provincialis Electoralis,
Consistorii & Juridicæ Facultatis Assessorem, Canonicum
Martisburgensem, Collegii P. Virginis Collegiatum & Po-
lonicæ Nationis Seniore, in eodem propemodum juven-
tutis & senectutis interliminio fatiq̃ præpropero rebo hu-
manis exemptum. Tantum tamen abest, ut ὁ μακροεὶτας
dictis

dictis Majoribus sive rectilineis, sive collateralibus concesserit, ut palmam iisdem Jurisconsultus profundissimus, ab omni politioris literaturæ apparatus vel ad invidiam instructus, & cum luminibus, quæ totam vitam amœnioribus literis unicè consecraverant, indeq; famam captaverant, comparandus fecerit ambiguam. Bonis pluribus, imprimis Studiosæ juventuti, funus hoc non potest non esse acerbum, si quantam jacturam cum PRÆCEPTORE hoc COMMUNI fecerit in studiis suis juridicis, accuratiùs secum ponderaverit. A tempore quippe multo, & ante & post collatos supremos in jure honores, Collegiis suis privatis juridicis & politicis (quantum autem virium ejusmodi labores exhauriant, etiamsi cum observatione non perficiantur, novit is, qui omnium labores accuratâ lance pensitat.) Studiosæ juventutis profectibus velificatus est, & reverà POLYCARPUM nominis mensuram implens in hac Academia se prestitit. Sed POLYCARPUM hunc habuimus! Fructibus istis uberrimis, quos cum emolumento studiorum suorum insigni decerpserunt jam Academiis & Rebus publicis utiles operas navantes (ebeu!) destituimur! Bona nostra tunc demum intelligemus, quando ea, quæ prius habuimus, nec satis aestimavimus, amisimus. Acerbus insuper hic casus existit Collegiis extra Philyream nostram aliis, quorum pars nobilissima fuit, Curie provinciali & Electorali judicio in inferiore Lusatia: Omnium acerbissimus Viduæ & Filie mœstissimis, totiçq; familie LYSERIANÆ amplissima, Marito,

rito, Patre, agnato & columna familiae destitutis. Verum cum animus nobis jam non sit, prolixam querelarum telam super hac improvisa morte texere, vel in factorum accusationem propter subtractum hoc tam nobile κειμήλιον converti, sed potius honori Beatissimi nostri Collegae posthumo velificari. & laudes ipsi debitas recensendo familiae honoratissima (qui fines intimationum funeralium esse solent) solatio esse, agedum vitae cursum, dicendi campum amplissimum nobis apertum, sed vel ab invitis coarctandum, quem laudabiliter & exemplariter in his terris confecit, ut legat posteritas, admiretur & ad hoc instar se componere discat, primis saltem ductis lineamentis describemus, & in famae templo suspendemus. Meretur id officii vel eo nomine, quod ipse plurimis (ut alias commune asylum erat, ad quod praesertim in iis, quae nemini obtrudi poterant, ibam) idem laudabiliter praestiterit. Sed ignoscite, pii manes, quod eos laudum vestrarum praecones non inveniat, quales vos experti fuerunt alii, vel id vobis laudi ducentes, quod pares non relinquatis, veteremque cantionem funebrem, quae parentari solet Viris bene meritis, non deficit alter, exemplo vestro deleatis.

Lucem itaque adspexit ο ευλογία noster VVIRTHIUS (nomen sufficiat) sept. Id. Aprilis anno aera Christiana 1609. Ad Parentes laudatissimos haec planta nobilissima ortum suum retulit, Patrem quidem Virum Amplissimum & Consultissimum, cujus cum honore mentionem supra fecimus, Dn. D. MICHAELEM VVIRTHIUM, plerisque officiis publicis in quorum velut hereditatem congener filius successit, conspicuum: Matrem foeminam Virtutibus sexum suum decentibus Clarissimam, Viri Maximè Reverendi, Magnifici & Amplissimi Dn. POLYCARPI LTSERI Senioris, SS. Tb. D. celeberrimi, Seren. Saxon. Elect. concionatoris aulici primarii & Consilarii Ecclesiastici, Viri de bono publi-

publico meritissimi Filiam, LUCÆ CRANACHII, pictoris famigeratissimi & Consulis Wittebergensis ex ELIS ABETHA matre neptem. Ex radice tam laudabili quis succus non laudabilis? Quæ non virtutum semina ex ejusmodi Parentibus propagarentur in posteros? Omne certè minus fallaci POLYCARPI nomine ab avo materno desumpto, cum sacro baptismi lavacro tingeretur & Civis Ecclesie fieret. τὸν μακαριῶτα dici voluerunt Parentes. Ut urbs Athenarum Ciceronem juniorem; Sic Lipsia elegantiarum mater suavissimis morum exemplis aliàs satis proclivem à teneris ungviculis imbuere poterat. Cum vero præclara indoles maturè se proderet, multumq; referat, quo succo lana coloris expers primùm imbuatur, eruditis Præceptoribus M. JOHANNI SIMONI & M. VALENTINO THUMMICHIO, Pastoribus postmodum Radebergensi & Ortrantensi bonis literis informandus fuit commissus. Profectibus atatem, quæ felicitas erat hujus ingenii divini, antevertentibus, in ætatis vere nondum pubertatis annos egressus Dn. M. GODOFREDO CUNDISIO, postea S. S. Th. Doctori, Superintend. Martisburgensi & Professori Jenensi laudatissimo, nec non Dn. M. VVILHELMO AVIANO, Phil. Fac. Assess. postea Rectori Thomano in amœnioribus & severioribus Studiis Philosophicis erudiendus fuit traditus. Sub horum ut & Dn. Professorum publicorum χεεγγωγία profecit ita, ut primitiis honorum Philosophicorum anno 1625. ætatis anno decimo sexto condecoraretur. Hos honores exceperunt in eodem studio summi, cum annum ætatis ageret decimum octavum non sine Matris delectissime (Parens enim anno 1618. jam præverat.) totiusq; familia applausu singulari. Quod enim suum fecerat Homericum?

Αἰὲν ἀεισεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἀλλῶν,
idem in studiis, promotionibus & vitæ reliqua contentione satis honestâ exprimere cogitabat. Disputatione pro collato Magisterii gradu habitâ, totum se studio juris vestigia paterna pressurus consecravit, Præcept. usus magni nominis Jctis, Dn. D. VVILHELMO SMUCCIO, Dn. D. ENOCHO HELLANDO, & Dn. D. JOHANNI BOHEMO, Professoribus publicis, & priusquam iter ad exteras nationes adornaret,

ret, examen pro Baccalaureatu juris anno 1629. cum laude sustinuit. Inde per Germaniam inferiorem in Galliam & transmarinam Angliam excursionses fecit, fructum peregrinationis uberrimum, multarum rerum, & quæ ab aliis insuper habentur, singularium observationem domum secum afferens. Redux in patriam, præcipit ante seculi currentis anno 22do, fundamentis probè jactis fastigium superimponere allaboravit, disputatione pro licentia sequenti anno habita. Publico renunciationis actu eandem anno 634. mense Januar. Doctoratus insignibus anno 635. & disputatione pro loco inter Doctores Fac. Juridicæ obtinendo anno 637. complevit. Vino vendibili hunc in modum suspensâ hederâ, dignitas una paulatim post se traxit alteram. In Collegium quippe Principum post obitum Magnifici Dn. D. SIGISMUNDI FINCKELTHUSII, anno 1644. in Fac. Juridic. anno 1645. fuit adscitus, Professionis extraordinariæ Sparta anno 1648. ordinariæ 649. ipsi ex ornanda fuit demandata, quibus dignitatibus receptio in judicium Electorale inferioris Lusatiae intercessit. In Canonicum Numburgensem votis Nationum Saxonica, Misnica & Polonica anno 1649. fuit electus & in Consilium Academiæ perpetuum anno seqq. cooptatus. Colophonem tandem imposuit dignitas haut exigua, cum ante biennium gratiâ Serenissimi Curia Prov. Elector. Assessoribus fuit adscriptus. Nec defuerunt ambulatoria officia plurima, utpote Assessoris apud Rectores, Clavigeri, Præpositi & quæ fuerunt alia sicco jam pede prætereunda. In hisce omnibus tam castè & integrè versatus fuit, ut præter laudem justitiæ, ἀρεσσωπολησίας, amoris boni publici sui desiderium ingens post se reliquerit. Vitam sine compare mancansentiens ac mutilam vitam sociam sibi legit Virginem Præstantissimam omnig. honorum genere cumulatissimam ANNAM, Viri Consultissimi & Præclarissimi Dn. CHRISTOPHORI FUNCCII, Quæstoris Electoralis hic Lipsiæ filiam uniuersam, sponsalitiis 25to Martii anno 1634. nuptiali 19. Julii ejusdem anni dicto. Ut ad votum ipsi cesserat hoc conjugium: Sic etiam pignoribus amoris Conjugalis tenerrimi non mansit ἀκαρπών. Duplici quippe prole, femellâ unâ, jam Virgine lectissimâ, virtutum paternarum & maternarum compendio JUSTINA ELISABE-

SABETHA, Patris desideratissimi prematurum obitum acerbè flente, & mascula unâ **POLYCARPO**, ex quo lucem hanc viderat, non diu superstite. Jucundis & acceptis diu stare negabatur, cum anno 1637. οὐζυγ & exoptatissima Parentum suorum obitum è vestigio sequens acerbâ δ.χοροῦια piè defuncto subtraheretur. Mansit exinde per integrum decennium in viduitate, donec rebus suis hunc statum minus consultum videns ad secunda vot atransierit, fide conjugali datâ Fœminæ formæ, prudentiæ Oeconomicae & morum elegantium laude tunc commendatissimæ **SOPHIÆ** viduæ **SANDREUTERIÆ**, ex qua filiolum amoris conjugalis obfidem **POLYCARPUM** & hunc post natiuitatem brevi decedentem suscepit. Quæ verba Prophetæ loco funebris argumenti volebat explicari, cum exequias iret Conjugi priori: Bonū est Viro à iuvent. jugum portasse, in se nimis quadrare optime sentiebat, præsertim sub temporibus bellicis exactionibus intolerabilibus, accedentibus subinde calamitatibus novis veteres exasperantibus. Sed patientiâ incredibili callum duxerat, quicquid tandem evenerit, in divinâ voluntate acquiescens. Jugo isti Virum Optimum subtrahere divinæ placuit clementiæ, ut ut annis nondum satis maturus vitæ communi adhuc usui esse potuisset prolixo. Quinto siquidem Cal. Oct. cum horis pomeridianis rerum suarum inter Collegas Amplissimæ Fac. Juridicæ satagisset, domum non optimè habens intra quintam & sextam vespertinam revertitur. Verùm lectulo se parumper condens, & Medicum de morbo consulens vel forti apoplexiâ, vel quocunq; tandem affectu subitaneo prosternitur ita, ut receptui canere videretur. Quare, signis quibusdam editâ fidei confessione, inter cantiones & preces adstantium, cum vixante sesquihorium domum se receperat, annos natus 45. longissimâ vitâ dignus, vitam cum morte commutat. Sic fuit noster **WIRTHIUS**! Sic ad momentum vidimus! Vos Muse, Charites & quicquid amœnitatum superest uspiam Cultorem vestrum μεσοκώτατον fufis lachrymis prosequimini: Vosq; Themidi addicti studiosi juvenes perpetuos amarantbos gratitudinis monumenta tumulo Præceptoris vestri communis adspargite. Jactura, quam cum tanto Viro tam subitò fecimus major est, quam ut dignè satis æstimari queat. Tu verò desideratissime, reb; nostris exente, veteri formâ

Supremum **SALVE**, perpetuumq; **VALE**.

Exuvia hodie post III pom. finitis sacris vespertinis dormitorio suo in templo Paulino inferentur. Ut verò exequiis frequentes intersint nostri, familia honoratissima dolorem quandantenus levent, suamq; gratitudinem erga Præceptorem, amorem erga Collegam eo ipso declarent, presentibus jubemus. P. P. ipsis Cal. Oct. Anno **MDCLIV**.

Zf 5792

U4

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



107

M



REC
ACAD
LIPSIE

ad
Amplissimum funu
DN. POLY
WIRTHII, magn
Cives Acaa
invita

